



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De origine Officij diuini. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

2 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. II. & III.

2 *Hora* dicta sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse ac, ora, cum aspiratione, Deum. vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesiae recitantur, *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quest. 1.*

3 *Canonica* appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonico- rum Choro addictorum sunt preces, *Azor. vbi supra.* Alij, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem, quod probat *Steph. Duran. lib. 3. de Ritibus cap. 1.*

4 *Hora Canonica* dicebantur *Cursus* à *S. Germano Parisiensi Episcopo*, vt in eiusdem *Vita cap. 64. & 79.* scribit *Fortunatus Pictaunorum Episcopus*, contemporaneus eiusdem, apud *Sur. Tom. 3.*

De origine Officij diuini.

C A P. I I.

1 **A** Postoli ab Hebraeis accepere horas orandi: & hora Tertia erant orantes in Pentecoste, *Act. 1.* Hora Sexta Petrus orabat, *Act. 10.* Ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus & Silas, *Act. 16.* quare easdem horas praescribere fidelibus, ex *Clem. lib. 8. Constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait *Manrolycus in Martyrolog. 27. Augusti*, neque Pelagius II. vt voluit *Polydor. Virgil. lib. 6. de Inuent. rerum cap. 2.* neque Damasus, ex *Pontificali cap. 39. in eius Vita*, dicendi sunt auctores, sed ij vel formulas Officij Decretis firmauerunt, vel ritus amplificauerunt.

2 Certè *Gelasius I.* & duo *Gregorij*, I. & VII. formulæ Officij, qua

nunc vtimur, dicuntur Constitutores & Reformatores à *Pio V. in Bulla sua initio Breuiarij edita*, & non alij.

3 Praeterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam & Completorium vltimò fuisse additas, docet *Radolphus Tungrensis Prop. 14.* & nos dicemus, cum de singulis Horis agemus, *Sectione quarta.*

De partibus diuini Officij,
& Horarum numero.

C A P. I I I.

1 **S**eptem horæ sunt, & octo, de quibus fortè mandatum accipis, vt des illis partem, *Ecc. 11.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. II. can. 59.* iuxta illud *Psal. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fuse Azor. cap. 1. quest. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab *Esdra lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte & quater in die iussit laudari Deum. *lege Nanarr. de Orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, vt testatur *Amalar. in Prolog. de Ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet ex *Concil. Cabilon.* quamuis *Rabanus lib. 1. de Institut. Cler. cap. 3.* easdem numeret, incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias: sed hæc certè hoc ordine posito, spectarent potius ad sequentem quam ad præcedentem diem.

5 Non caret mysteriis hic numerus